



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. I. Quid & quotuplex sit adoptio?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

ut hæreticus Patrinus Catholici Parentis à Catholico Sacerdote baptizatos liberos teneat, cum hic Patrinus non sit idoneus ad instruendam prolem susceptam in vera fide, quod tamen munus per se Patrini est; ad multa tamen incommoda devitanda absolute, ex causa gravi, etiam hoc permitti potest, modò nulla

de instructione fiat promissio, & multum fortasse ad omne scandalum devitandum juvabit, si publice protestetur baptizans, quòd infantem hunc in fide Catholica baptizet, & instruendum fore, in illa fide, nihil in contrarium obstante.

TITVLVS XII.

DE COGNATIONE LEGALI.

Cognatio legalis potissimum oritur ex adoptione, ideo hujus etiam aliqua explicatio hic necessaria videtur.

§. I.

Quid & quomplex sit adoptio?

Adoptio, prout communiter definitur, est extraneæ personæ (quæ non est in potestate adoptantis, aut ex hujus descenditibus) in filium, aut filiam, nepotem, vel deinceps in pronepotem v. g. abnepotem legitima assumptio: requiritur ad eam legitime faciendam juxta legum constitutiones, ut adoptans sit sui juris, sit masculus (fæminis enim non conceditur jus adoptandi §. *fæmina Inst. de adopti.*) ut sit major 25. annis, ad generandos filios naturales non impotens, & ut major sit 18. annis adoptato, & sic pater illius naturalis ratione ætatis esse possit; ut adoptatus sit præsens adoptanti, cum adoptatur, & in adoptionem consentiat. Duplex autem est adoptio, una perfecta, quæ

etiam arrogatio dicitur, vi cujus in potestatem adoptantis transit adoptatus, & sit necessarius illius ex testamento hæres, ut filius naturalis. Altera imperfecta, simplex & specialis dicitur, per quam non transit adoptatus in adoptantis potestatem, nec sit necessarius illius ex testamento hæres; sicuti autem illa non fit, nisi Principis rescripto, ita hæc etiam ab inferiore Magistratu fieri potest. Vide plura de utraque hac adoptione apud Civilistas.

§. II.

Quid sit cognatio legalis, & quos ejus species, & ex qua adoptione oriatur impedimentum hoc dirimens Matrimonij?

Cognatio legalis, est propinquitas personarum de jure Ecclesiastico approbante jus civile, ex adoptione proveniens. Est autem triplex hujus cognationis legalis species, prima inter adoptantem & adoptatum, & descendentes

R r r r 3

ad.